

THEORICORVM PRÆCEPTORVM

propositio trigesima tertia.

De jurisdic-
tione Ec-
clesiastica.

Jurisdictio & potestas Imperatoria ratione Romani Imperii, cui præest, absoluta nominatur. Sicut enim istud per se immediatè DEUM & *ensem* (ut in decreto Imperii Anno 1338. publicato, pronuntiatum legimus apud Aventinum *lib. 8.*) sic quoque gubernatur Cæsarea jurisdictio, eundem DEUM absolutum agnoscit autorem *l. 1. C. de veter. jur. enucleand. Novell. 28. cap. 4. in fin.* DEI enim gratia Reges regnant, *Proverb. 8. v. 15. cap. quo jure, distinct. 8. Rom. 13. v. 1. Sapient. 6. v. 4.* Quo facit vulgatum illud: *Wir von Gottes Gnaden.* Hinc vix tolerandam putamus eorum opinionem, qui à Pontifice Imperium ad Germanos translatum, jurisdictionemque, electo Cæsari subsequente Papali coronatione, demum tribui asserunt, vide *gloss in cap. legimus, distinct. 9. 3. & gloss. in Clement. de jurejurand. in verb. regis, Wesenbec. in Apostill ad proœmium Institut. ad Schneid. de rer. divis. Bodin. de Republ. lib. 2. cap. 6. num. 225.* Dissentit Alciat. *ad l. 16. ff. de verbor. significat. per cap. venerabilem, extra de electione.* Separata enim DEI dona sunt Sacerdotium & Imperium *Novell. 6. in princ. cap. causam, eos qui filii sint legitimi, ibiq. gloss. illud divinis, hoc humanis seu secularibus præest negotiis, d. Novell. 6. cap. cum ad verum, distinct. 96. Matth. 20. v. 25. & cap. 22. v. 21. Marc. 10. Luc. 22.* Sit illorum itaque cura Ecclesiastica. Horum potestas verò Cæsari jure proprio commissa, *argum. d. Novell. 6. l. 41. C. de Episcop. & cler. l. 6. C. de Episcop. audient.* Quinimò cum Ecclesiasticis oppropriosum sit, se causarū secularium peritos ostendere *l. 17. l. 14. vers. absurdum, C. de Episc. & cler. c. cum ad verum, distin. 96. c. Sacerdotibus, cap. sed nec procuratores, & toto tit. extra ne clericus vel monachus secularibus negotiis se immisceat tam supremos Romæ residentes, cap. primæ sedis, distinct. 90. c. multi Sacerdotes, distinct. 40.*

non